

Alte Drucke

Davidis Chytræi In Historiam Iosvæ, Ivdicvm, Rvth, in Prophetas & Psalmos aliquot; & Sententias Syracidæ

Chyträus, David

Lipsiae, 1592

VD16 C 2504 T. II

Dedicatio explicationum in IOSVAM. SERENISSIMO PRINCIPI ET DOMINO, D.
FRIDERICO II. DANIAE, NORVVEGIAE, GOTHORVM ET VANDALORVM REGI, DVCI
SLESVVICENSI, HOLSATIAE, Stormariae & Dietmarsiae, Comiti in ...

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-148122

Dedicatio explicationum in

I O S V A M.

SERENISSIMO PRINCIPI ET DOMINO, D. FRIDERICO II. DANIÆ, NORVVEGIÆ, GOTHORVM ET VANDALORVM REGI, DVCI SLESVICENSI, HOLSATIÆ, Stormariæ & Dietmarsæ, Comiti in Aldenburg & Delmenhorst, &c. Domino clementiss.



V M INCLYTVM DANIÆ REGNV M hoc tempore tranquillum & florens domicilium vera religionis, iustitia, legum, pacis, studiorum doctrinae, omniumq; artium & virtutum ac ornamentorum ciuiliu vite existat: & à bono, sapiente, forti & moderato Principe, & DEVM vera pietate colente, gubernetur: toto pectore DEO aeterno regi ac custodi Ecclesie & piorum regum ac regnorum ipsi seruientium gratias ago: quod cum in plerisq; alijs orbis terrarum regnis, aut prorsus deleta sint Ecclesie, aut dissidijs opinionum turbentur, aut bellis perterrefacta minus tueri studia doctrinae & gubernationem possint: in

amplissimo R. M. T. regno, Halcyonia Ecclesis Christi, vna consentiente vere de Deo doctrinae voce, rituum grauitate, populi in ornando ministerio & omnibus pietatis officijs diligentia, & discipline sanctitate florentibus, clementissime tribuit. Eumq; ardentibus votis precor, vt in his regionibus & R. M. T. regno semper Ecclesiam sibi aeternam colligat, & seruet incolumes R. M. T. & inclytam Reginam, & nobilissimos liberos, & regnum tuum protegat & tueatur. Hec vota pro R. M. T. & totius regni salute ad Deum fundo tum sepe alias, tum verò in primis hoc noui anni principio: quem à Genethijs filij Dei, summi Regis Ecclesie, & Domini ac liberatoris nostri Iesu Christi, Ecclesia orditur. In quod tempus, cum editio huius libelli, quo historiam laudatissimi Imperatoris & Ducis populi Israëliti I O S V A, qui seruatoris Christi typum & imaginem gerit, incidisset: non modo repetere pia & ardentia vota, verum etiam obseruantie erga R. M. T. subiectissima & gratitudinis meae testimonium, libelli huius inscriptione, ostendere volui. Nam & Serenissimi ac verè CHRISTIANI & sancti Regis patris tui (quem Iosue nostro, vera pietate, sapientia, magnitudine animi orta ex fiducia presentie DEI, fortitudine in prelijs, iustitia & moderatione in toto imperio similitimum fuisse, non minus, quàm Fridericum patrem, scimus) beneuolentia erga me, aliquot epistolis clementissime scriptis, & benignissima inuitatione ad societatem honestissimorum in Academia regia docendi laborum, ante multos annos declarata fuit: & tue etiam clementie regia erga me significationes illustres proximis mensibus extiterunt. Quarum memoriam me grata mente, & voce conseruare, misso ad R. M. T. hoc tenui libello ostendo. Quam Ecclesiarum R. M. T. iudicio reuerenter subycio. Neque enim nouum gignere doctrinae genus, sed consensum harum Ecclesiarum, quem & Danica & Saxonica Ecclesie amplectuntur, sequi studeo. & DEVM fontem veritatis & pacis oro, vt perpetuus inter has Ecclesias consensus sit, vt secundum Paulum, idem sentiamus inter nos mutuo, in Christo Iesu, & vnanimiter vno ore glorificemus Deum & patrem Domini nostri Iesu Christi.

Cum autem studiosorum adolescentum & lectorum causa precipue, commonesactiones pietati & studijs viles exponi in Proximis lucubrationum soleant: decreui in huius historie Iosue initio, Discrimen inter historiam Sacram & Ethnicam: & inter Iosuem & similes Iosue bellatores ac duces in Ecclesia Dei, Dauidem, Iosaphat, Ezechiam, Carolum I. Francorum regem, Fridericum I. & Christianum III. Danicae reges & Ethnicos Heroes, Herculem, Alexandrum, Casarem & similes, breuiter commemorare. Legimus Uuaremundum, Francos olim ex Germania trans Rhenum fl. in Galliam anno Christi 420. duxisse, & regnum Francorum constituisse, quod nunc annos amplius mille florens durauit. Alexander magnus Macedonas trans Hellespontum in Asiam traxit, & monarchiam Persicam ad Gracos transfudit, Quae tamen statim post illius mortem bellis intestinis successorum dilacerata est. Tariphaz Dux, Saracenos, anno Christi 714. trans fretum Herculeum in Hispanias duxit, qui totam Hispaniam intra 14. menses occuparunt: eamq; inter se distributam, annis ferè 800. retinuerunt, donec anorum memoria primùm à Ferdinando Catholico, Caroli V. Imper. auo materno, prorsus ex Hispania possessione ac pulsi

depulsi sunt. Esti autem hæc narrationes in speciem similes videntur rebus gestis Iosue, populum Israhel, per Iordanem in Palestinam traduentis: tamen longè huic Tarifa & Uuaremundo Francorum Iosue, noster Iosua, successor Moysis, & typus Christi venturi, antecellit. Est in Ethnicis bellatoribus, Achille, Hercule, Tarifa & similibus, Heroica fortitudo, virtus, & felicitas in rebus gerendis: eosq; diuinitus excitatos & adiuutos esse consentaneum est. sed tamen Deum autorem sue virtutis & successuum non agnouerunt, nec in praelijs Deum inuocarunt, nec ad hunc finem retulerunt bella, ut Deo seruirent, ut propagarent veram doctrinam de Deo, de redemptore nostro Iesu Christo, de inuocatione Dei, de vita æterna; sed suam gloriam & potentiam tantum augere & amplificare studuerunt, sicut Alexander inquit se tantos labores suscipere, ut Athenis in theatro bene audiat, ac dolet plures mundos superesse nondum à se debellatos.

At Iosua, Dauid, Maccabei, non tantum Heroico nature impetu in bellis gerendis incitantur, sed VERBO & mandato DEI ad suscipienda iusta & necessaria bella mouentur: & ab ipso Deo, mentes, corda & dexteras suas armari & gubernari petunt. ut Dauid inquit, Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad praelium, & digitos meos ad bellum. Item, In te pertumpam agmen hostium, & in Deo meo transgrediar murum. Itaque in ipsis praelijs Deum inuocant, & victorias referunt ad hunc finem, ut DEI glorie & propagande vere Dei noticie & inuocationi, & veris cultibus Dei & studijs doctrinæ ac virtutum, seruiant. ut Carolus magnus in priuilegio Ecclesie Bremensis præfatur, se tot annos cum gente Saxonica bellum gessisse, ut victa ad veri Dei agnitionem perueniret, nec sibi victori, sed armis & fide Domino Deo & redemptori nostro Iesu Christo seruiret. Sic Iosua, mirandas & excellentes victorias suas, refert ad hunc finem, ut sedem vere Ecclesie Dei certam & diuturnam condat, in qua lex Dei & promissio de Messia sonet, & ad posteros, & in vicinas gentes, pura & incorrupta deriuetur: & ipse Messias paulò post sua voce doceat, edat miracula testimonia doctrinæ, fiat victima, & resuscitatus ex morte, Regnum suum, missis ad prædicationem Euangelij Apostolis, in totum terrarum orbem propaget. Hic omnium politicarum & Regnorum finis præcipuus esse debebat, ut summo Regi Domino Deo, & redemptori nostro Iesu Christo, ac Ecclesie Dei & studijs doctrinæ de Christo, hospitium & sedem tranquillam præberent, ut Psalmus inquit, Edificauit Dominus Zion, ut annuncient in Sion nomen Domini & laudem eius in Ierusalem, cum conueniant populi simul & Reges, ut seruiant Domino. Item, Ierusalem edificatur ut sit ciuitas, in qua est conueniendum, ut illuc ascendant tribus, ad prædicandum Israheli, & consistendum nomini Domini. Psal. 24. Aperite portas Principes vestras, ut introeat Rex glorie. Psal. 2. Et nunc Reges intelligite, Seruite Domino in timore, Osculamini filium. Hic finis pijs & Christianis bellatoribus in Ecclesia Dei imprimis propositus est.

Deinde verò, toto genere, Historia Sacra Ethnice antecellit, RERVM, quas describit & tractat, bonitate, præstantia & maiestate. Herodotus, Cræsi, Cyri, Darij Histaspis, Xerxis, & aliorum regum, & regnorum Lydy, Medici, Egyptiaci, ac Persici præcipue, bella cum Græciæ recitat. Thucydides ciuitatum Græcarum, in bello Peloponnesiaco, deliberationes & prælia describit. Lilius vnius populi Romani res domi ac foris, pace belloq; gestas complexus est. At in sacra historia Moysis, Iosue, Prophetarum & Apostolorum, non rerum ab hominibus gestarum narrationes tantummodo exponuntur, sed imprimis æterni DEI & redemptoris nostri Iesu Christi dicta & facta, longè supra & extra humane rationis conspectum posita, commemorantur. verbi causa, creatio & exordia mundi & generis humani, institutio Ecclesie & coniugij, causa calamitatum & mortis humane, Promissio de Christo Seruatore liberante nos à peccato & morte. Origo & propagatio vere religionis, origines & stirpes omnium gentium. Repetitio & illustratio promissionis de Christo. De his tantis rebus sola nos sacra historia docet, qua omnibus ethnicis ignote sunt.

Tertium discrimen facit Doctrina. Nam Ethnici tantum intexunt narrationibus Sententias de moribus honestè regendis, & pænis scelerum, qua cum legis doctrina nobiscum nascente congruunt, ut Herodotus belli Troiani mentionem concludit hoc epiphonemate: τὸν μὲν ἀλλὰ ἀδυνατῶν πύδασι τὰ ἴα ἀτρυγέταις παρὰ δὲ. Item, Οὐδέτις ἀδύνατος ἀδύνατον ἴσθι ἐν δόξῃ. At in Moysis, Iosue & cæterorum Prophetarum & Euangeliorum historia, Promissio de Semine benedicto Filio Dei Domino nostro Iesu Christo, & de remissione peccatorum & reconciliatione cum Deo & donatione vitæ æternæ gratuita imprimis ominet & elucet. Hæc enim totius doctrinæ & fidei Christianæ vδὰ λέγειν & proprium Ecclesie Dei νόμος ἐστίν, quo ab aliarum gentium sapientia & religionibus præcipue discernitur. Tota etiam sacra Historia, VERBO Dei, diuinis mandatis, promissionibus, adhortationibus, comminationibus, consolationibus, precibus, Gratiarum actionibus ad Deum, tanquam sale perspersa & condita est: quo ethnicæ historie prorsus carent. ut ad Iosua hoc loco dicitur: Non recedat volumen Legis ab ore tuo. Non declines ab ea ad dextram aut

sinistram. & Lutherum aliquoties dicere audivi: DAS DIXIT DOMINVS macht Historiam Genesis köstlich.

Quarto, Regnorum descriptionibus differunt. Herodotus regni Lydorum, Egyptij, Persarum, & alij aliorum regnorum huius mundi successiones, bella, mutationes & interitus recitant. Sed an Dei opera sint imperia? an à Deo constituantur & seruentur? & cum tyrannides, blasphemias, libidines & alia scelera punire ipsi visum est, rursum à Deo destruantur? timide disputant.

Sed Historia sacra, CHRISTI REGNUM spirituale & æternum, & Ecclesie Christi collectionem, & gubernationem mirandam, præcipue describit. & in regnorum huius mundi historijs disertè testatur, DEVM ea constituere, gubernare & defendere, & rursum euertere aut transferre suo consilio sapientissimo & iustissimo solere. ut Dan. 2. in monarchiarum prædictione dicitur, Deus transfert & stabilis regna. & in hoc libro Iosue, Deus ipse sua voce & potenti dextra Politiam populi Israël in terra Canaan constituit, & Amorrhæorum, Hethæorum, Euæorum, aliorumq; populorum, & urbium Hiericho, Hai, Hebronis, Lachis, Azoris, reges & regna evertit.

Quintum discrimen ab Exemplis sumitur. Nam exempla virtutum, que præbent res gestæ in alijs Imperijs, serè politica sunt, & ad secundam Decalogi tabulam pertinentia. ut Alexandri magni, Iulij, Multiadis, Themistoclis, Scipionis Heroica fortitudo: Cyri & Augusti moderatio & clementia: Pausania post victoriam ad Plataeas modestia non seuentis in cadaveris, & abstinentis à captiua Coa. Sed hi bellatores planè expertes sunt veræ agnitionis DEI, veræ fidei in præsentia Dei propter Christum propitij adquietis, veræ ταπεινωσεως, veræ penitentis & conuersionis ad Deum, & cæterarum primæ Tabulæ virtutum Ecclesie propriarum, que in Iosua, Dauide, Ezechia & similibus Heroibus in Ecclesia DEI conspiciuntur & lucent. Nec referunt Ethnici Heroës ad hunc finem suas victorias, ut seruiant vero Deo & Ecclesie Christi, nec statuunt suas dexteræ in rebus gerendis regi à vero Deo, nec eum inuocant.

Sexto, Etsi Ethnica historie, etiam in prima tabula Decalogi, exempla horrendæ IRA DEI aduersus scelera, & horribilium pœnarum, quibus atrocis delicta à Deo plectuntur, commemorant: ut Herodotus ait, Regni Troiani excidium monere omnes homines, Quod atrocis scelera atrocibus pœnis à Deo puniantur: tamen sacra historia, non solam iræ Dei, in pœnis diluuij, Sodomorum, excidij gentium terre Canaan, euerisionis Ierosolymæ, sed etiam GRATIÆ & MISERICORDIÆ DEI, & remissionis peccatorum & mitigationis pœnarum testimonia, in exemplis primorum parentum, Aaronis, Dauidis, Manasse, Petri & similibus proponit: Qui ad Deum conuersi, non modò culpe veniam, verum etiam pœnarum relaxationem, & restitutionem in pristinum decus impetrarunt.

Septimo, antecellit sacra historia Miraculis, proprijs natura diuina & omnipotentis, qualia sunt in historia Iosue, siccatus Iordanis alueus, & aque instar rupis in sublimi consistentes: repressus cursus Solis, Lune, & cæterorum siderum, ut toto die non progredierentur. In historia Moyses, eductio ex Aegypto per diuisum mare rubrum, fecundatio Saræ anus effactæ & sterilis. In Euangelijs crebra resuscitationes mortuorum, & alia miracula, quibus solius historie sacre & totius religionis & doctrine Christianæ veritas & certitudo confirmata est.

Postremum & illustre discrimen sumitur ab Antiquitate. Nulla enim extat historia apud Ethnicos antiquior, que certam & continuam annorum & verum gestarum seriem recitet, quam Herodoti Halicarnassei. At hunc, à Gyge Lydorum rege, annorum seriem ordientem: annis 3250. initium sacre historie antecedit. Etsi enim in poematis Græcis, historie expeditionis Argonautarum, Thesei, Minois, Oedipi, belli Troiani, &c. mentio fit: tamen has ipsas narrationes multis seculis, Mosaiica, & Iosue historia præcedit. nec vlla ante initium Olympiadum (quod in annum mundi 3188. incidit) certa annorum series in Græcis historijs extat. Cumq; anno mundi 2493. IOSUA Israëlitas in terram promissam per Iordanem traduxerit; constat, annis septingentis, Iosue tempora, initio Olympiadum antiquiora esse. Bellum verò Troianum, 280. annis, Iosue transitum in Palestinam consecutum esse. Ad hunc verò annum à nato Christo 1577. à Iosua Iordanem transeunte anni 3046. præterierunt. Has illustres, Historie Sacre & Ethnice differentias studiosi in historia Iosue & tota lectione Bibliorum in conspectu habeant. Nunc Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, à cuius Genethlijs, que salutis nostræ exordium fuerunt, anni etiam principium in Ecclesia ducimus, toto pectore precor, ut nos doceat & gubernet, & Inclitæ Maiest. tuam & nobilissimam reginam, ac liberos regios, ad æterni DEI gloriam & totius regni salutem, incolumes & florentes perpetuò seruet. Datum Rostochij, postridie Natalis Filij Dei, inchoantis annum 1577.

David Chytræus.

IN ENAR.